



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Œcumenica Cathedræ Apostolicæ Avthoritas**

**Reding, Augustin**

**[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.**

§. III. Quódnam Summo Pontifici jus sit erga beneficia Ecclesiastica intrà  
Galliam consistentia?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38717**

ijis præstandis exhiberetur, non tam auctoritatis ad ea exigenda defectum in Summo Pontifice, quam abusus quosdam, aut nimiam in exigendo severitatem causari sint. Verum præterquam quod longè abessent hodie omnium illarum excusationum colores, cum Innocentius XI. suos thesauros exhauriri malit, quam extra Italiam Decimas imponere, & reliquos Episcopos ex eplo allicere, quam præcepto urgere; non continuè negàda esset Papæ potestas, ut *superius* eù Gersonio notavimus, etiã si ejus usi nonnulli olim abusus admixti fuissent.

Unum duntaxat video super futurum Clero Gallicano, & alijs prætextum, si res eò perducerentur, ut Pontifex, consumptis suis redditibus, non posset Christianarum aliquarum Provinciarum adversus Infidelium impetus securitati consulere, nisi exacto ab alijs subsidio: nimirum non jam de recuperanda terra Sancta, sed de tuendo, vel restituito Principum sæcularium dominio agi. Quasi verò solius Paletinae causâ olim petite sint Decimæ, ac non unicum sit Ecclesiæ corpus; aut ideo deferendi sint Christiani in fidei periculo constituti; quia si eis manus porrigatur, non nihil utilitatis illinc in Principes Christianos derivabitur. Nihilne Reges Franciæ perciperunt emolumentum ex compressis in partibus Tholosanis Albigenensibus, quâ occasione Honorius III. Philippo Augusto partem etiam pecuniarum subsidio terræ Sanctæ destinatarum concesserat, ut videmus in ejus Epistola in *append. 2. Tom. 5. Duchesne relatâ sub num. 10.*

Martini IV. Natione Gallum Philippo III. Francorum Regi Decimas ad triennium concessisse, ut bellum gereret contra Petrum Aragoniæ Regem, Siciliæ invasorem, testatur ejus litteræ ad Joannem Legatum datæ, ut Præsules ad solvendas Decimas cogeret, & citatæ ab Oderico Raynaldo ad an. 1283. *num. 35.* Nec dubitavit pios ille Pontifex, ut ostendunt litteræ ab eodem Historico citatæ *ibid. n. 41.* exactas à Clero pro instaurandis Syriæ rebus Decimas, olim decretas in Concilio Lugdunensi, ad defendendam Siciliam derivare. Narrat idem scriptor, & citatis ejusdem Pontificis libris probat *num. 10.* ipsum non solum à Gallis, sed ab alijs quoque Præsulibus opes in id conferri voluisse. Siculos similiter, tum Provinciæ, atque Arelatensis Archiepiscopatus Præsules Decimas Regi Carolo, ut hostem Regno eijerret, solvere; atque ad id à Legato adigi præcepisse. Hæc autem ab eo perperam gesta non fuisse, suadent virtutes & miracula, quibus claruisse, fertur apud Historicos. Honorius ejus successor, quas ille Decimas Philippo III. jam pro Aragoniâ armis comparandâ attribuerat, Philippo IV. ad quadriennium permisit, ut narrat Raynaldus ad an. 1286. *num. 27.* Sed de his hæcenus, quæ in præxim redigere, utinam nunquam opus sit.

### §. III.

Quocnam Summo Pontifici jus sit erga beneficia Ecclesiastica intrâ Galliam consistentia?

**H**anc rem ita prosequitur Author præfa-

tus *cap. 12.* Nullâ in re, inquiens, laudabilior foret Gallorum pro defensione libertatum Ecclesiæ Gallicanæ zelus, quam si antiquorum Canonum observantiam, circa Beneficiorum dispositionem factam testam servarent, nec Summum Pontificem cogerent suâ supra Concilia, & eorum Canones, auctoritate uti.

Restiterunt quidem Galli dispensationi super regula, quæ sæcularia Beneficia Regularibus personis conferri præcipit, quando Summi Pontifices beneficia Galliæ Italici, aut alterius Nationis viris, de Ecclesiâ benemeritis distribuiebant. At ubi ex Caroli VII. Francorum Regis Edicto anno 1431. dato non nisi indigenis (intellige sine Regis licentiâ) ea largiri licuit, Commendarum usus in favorem sæcularium aded invaluit, ut quamvis antiqua Canonica disciplina Concordatis confirmata fuerit *tit. de Regiâ ad Prælaturas nominatione faciendâ. §. Voluntas.* Philippus Probus in *addit. ad Gloss. Pragmat. Sanction. tit. de collat. §. Cui rei. num. 17.* in hunc modum conqueratur. *Hodie tamen sit contrarium, aded quod in Gallia vix posset reperiri decimus Abbatum numerus professionis Regularis. Unde non immeritò videmus omnes penè Domos Regulares ad nihilum in vita, & moribus, prout & rebus reduci, & caducitatem amplecti, Monachosque Mendicantium Ordinum fieri, & extra septa Monastica potius eos languescere, quam vivere. Quæ sit horum occasio, vel causa, dicitur ex eo, quod Commendataris aperta est superiorum porta, quibus his, & alijs de causis poterit claudijanus casu. Qui abusus ex eo tempore magis ac magis excrescit.*

Eaque fuit una ex causis, cur Concilium Tridentinum à Curia Franciæ non fuerit receptum. Primam enim reculationis rationem eam attulerunt Regina, & magnus Cancellarius Nuncio, Concilij receptionem urgenti. Quod Concilium Tridentinum veteret, Beneficia Regularia in Commendam tradere, cum Rex hujusmodi Commendis multos Primates viros sibi devinceret, quorum auxilio difficillimis illis temporibus indigebat. *Palla vicinus lish. Concil. Triad. lib. 24. cap. 11. num. 4.*

Aded non servantur in Gallia Canon 15. Synodi Nicænæ, 21. Antiochenæ, & 5. Chalcedonensis, ut in nulla Christiani orbis parte frequentius violentur, cum innumerae fiant Episcoporum translationes. Unde plurimorum in illâ Ecclesiâ malorum seminarium existit. Non enim tanto affectu Ecclesiæ, quam quis semel gubernandam suscepit, adhzret: non tam sedulo invigilat; non tam facillè permansura opera aggreditur: libentius in Aulæ studia, quam in tuenda Ecclesiæ suæ jura propendet, qui Aulæ beneficio ad pinguiorem se conscendere posse confidit: hoc ut assequatur, non solum magnatibus blanditur, sed obsequitur, etiam cum Ecclesiastici juris, & libertatis pæcturâ: ambitione tenetur: hinc avaritiâ, illinc prodigalitate peccatur: ac demum futuri, non animarum, sed honoris, & divitiarum loci expectatio ita tempus, & cogitationem abripit, ut obsequiis suscepti

suscepti regiminis officijs nihil reliquum sit; & proprium gregem non perpetui Pastoris animo curet, sed temporanei mercenarij more exlugere festinet.

25. Quot excidissent in Gallia e proprio gradu Episcopi, tum inferioris Ordinis Clerici, si Beneficiorum pluralitas eâ pœnâ multaretur, quam indixit Canon *decimus* Concilij Chalcedonenfis? Quæ regula si valeret, & vigeret, non tanta plerisque ambitio, vel avaritia inflecteret ad Aulicorum officia, aliorumque, quorum ope Beneficia Beneficijs accumulaturos se esse, sperent. Non tantus esset Ecclesiasticarum rationum neglectus.

26. Præcipua Ecclesiæ Gallicanæ libertatum pars olim in eo posita est, ne Romanus Pontifex Beneficiorum dispositionem sibi assumeret. Verùm tum, cum de illa dispositione Galli acerbius conquerebantur, Concilium ipsum Basileense jus illud Summi Pontificis agnovit, ei aliquorum Beneficiorum dispositionem reservans Sess. 31. Decreto de collatione Beneficiorum, ubi sic legitur. *Non tamen intendit prohibere hæc sancta synodus hoc præsentis Decreto, quò minus futuri Romani pontifices tempore Pontificatus sui modo honesto, & convenienti, de uno Beneficio ad collationem, in qua fuerint decem Beneficia, & de duobus, ubi fuerint quinquaginta, & ultra disponant . . . . . Neque etiam collationes per præventionem fiendas intendit impedire.*

27. Quin etiam Universitas studij Parisiensis, eâ tantoperè Curiam Romanam à conferendis Beneficijs arcere contendebat; tamen Romani Pontificis circa illa potestatem sæpe imploravit, nedum agnovit. Hic unus erat ex articulis Martino V. Eugenij Decessori portectis; Item cum nonnulli Doctores, & Magistri infra scripti à Sanctitate vestra gratias expectativas obtinuerint in primo & principali Rotulo dictæ Universitatis per sanctitatem vestram sub data 4. Kalendas Februarij anno primo signato, quibus vigore earundem gratiarum de Beneficijs Ecclesiasticis minime provisum extitit, dignetur Sanctitas vestra eisdem concedere, quòd dictis gratijs uti, & gaudere valeant, una cum gratijs in præsentis Rotulo per sanctitatem vestram, ut speramus, faciendis: salvis tamen per integrè articulis superius expressis. Cui articulo Papa respondit; *Fiat pro omnibus, & quibus non est provisum . . . . . Datum Romæ anno 1424. 25. May, Pontificatus prælati Domini nostri Pape (Martini V.) anno septimo. Refertur in Historia Universitatis Parisiensis tom. 5. circa prædictum annum 1424. Extant alia multa exempla similia apud eundem Authorem.*

28. Verùm cum Concordata inter Leonem X. Papam, & Franciscum I. Franciæ Regem inita, usulque subsequutus contentioibus hæc de re nasci solitis imposuisse finem videantur, non est diutius immorandum, sed expectandum, donec Deus eos, quibus beneficiorum provilio incumbit, ad revocandam ex omni parte antiquam Canonicam disciplinam circa rectam illorum dispositionem moveat.

29. Si omnes collatores, aut Patroni præ oculis semper haberent, quàm stricta sit obligatio ea dignioribus conferendi, non autem

indignis, vel etiam minus dignis propinquis, aut à quibus aliquod receptum est, vel recipiendum speratur officium, quamque terribile futurum sit supremi Patrisfamilias iudicium adversus eos, qui in constituendis in Domo Ministris & Officialibus, propria commoda, privatosque affectus magis attendunt, quàm ipsius gloriam, & cultus decorem, aut animarum salutem, certè magis metuerent, ne non satis dignos, aptosque servos Domino suo eligerent, quàm gloriarentur de jure suo, aut illud indebitè sibi vendicare contenderent.

Cæterùm non est, cur Galli Doctores Italicos accusent quasi numjùm extulerint Romani Pontificis circa dispensationem Beneficiorum potestatem, cum Doctores Gallia non minus latè illam explicuerint. Petrus Rebuffus in concordatis tit. de Mandatis Apostol. §. Et ut obvietur. verb. Gravare. scripsit. *Papa jure præventionis omnia jura potest conferre, cum totus mundus sit Diocesis Pape. cap. Cuncta per mundum. Et cap. Per principalem. 9. quest. 3. Unde non est mirum, si in sua Diocesi, & sic per totum mundum conferre possit.*

#### CONCLUSIO.

Illis Summi Pontificis erga totius orbis Christiani beneficia Ecclesiastica fundatur in jure Divino, estque illimitatum, nisi in quantum ejus usus ex specialibus concordatis fortè coarctatur, accipiturque moderationem suam ex regulis Cancellariæ Apostolicæ, salvâ semper plenitudine potestatis Pontificiæ.

Explicatur & probatur. Romani namque Pontificis in conferendis Beneficijs Ecclesiasticis auctoritas subsistit ex indefinitâ per Christum sibi concessâ autoritate, habetque jus illimitatum super universis, cujuscunque sint conditionis & qualitatis, Ecclesiasticis beneficijs, ut ea liberè conferre possit quibusvis personis idoneis. Ex cap. Cuncta per mundum. q. 2. Cap. 2. De præbendis. in 6. & Clement. 1. Præsentente. Neque libera hæc Summi Pontificis potestas Divinitus concessa ligari potuit ex hoc, quòd Ordinarijs, alijsque Prælati sit concessa facultas, conferendi certa beneficia Ecclesiastica, vel aliter super ijs providendi; quia hæc concessio non habet se privative, sed solum cummulativè ad illam Summi Pontificis auctoritatem. Imò Papa concedens Ordinarijs ejusmodi facultatem, nullatenus potuit se privare potestate per ipsammet Christum sibi concessâ; juxta Cap. Dndum. De præbendis. in 6. ubi decernitur in hæc verba: *Nos igitur attendentes, quòd, etsi memorato Episcopo prædictam concessimus potestatem, penes nos tamen nihilominus remansit major.*

Ex quo redditur indubitatum, si Pontifex præveniat Ordinarium in alicujus beneficii collatione, hanc esse præferendâ collationi factæ per Ordinarium, nisi fortè ista habeat

prærogativam seu prioritatis, seu etiam possessionis; juxta Cap. Si à sede. De præbend. in 6. & Clement. 1. §. Neuro. Vi lite pendente. cum cæteroqui merito habenda sit ratio per cit. Cap. Dudum. adducta, cui subnectitur: Propter quod nostra, qui eandem (imò majorem in collatione beneficiorum) occupavimus potestatem, potior esse debet conditio.

Soler equidem Summus Pontifex regulariter se non ingerere in collatione beneficiorum, quæ liberæ collationi ( præsentationeque patroni præsupposita ) institutioni Ordinariorum permittit; tamen vel Summus Pontifex derogare potest huic juri, suæque absolutæ auctoritate uti in conferendis beneficiis, vel etiam de facto sibi reservavit seu generaliter, seu specialiter, aut etiamnum potest reservate certa beneficia.

S. IV.

Corollarium.

Insertur; Quibus vijs ac modis Ecclesia Gallicana ad onera beneficiorum Ecclesiasticis imposta executanda, sibi adseriverit libertatem à se nunc præterita consuetam? Author præcit. tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 1. cap. 16. hanc rem ita describit. Ex omnibus malis, quæ dissidium inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum consecuta sunt, maximum, & aliorum quamplurimorum causa fuit schisma. Cum enim Clemens V. Philippi operâ ad Summum Pontificatum evectus fuisset, Sedem Avenione, sicut Regi promiserat, constituit anno 1305. ibique commorati sunt subseqentes Pontifices usque ad annum 1375. quo Gregorius XI. Sedem Avenione Romam retulit. Eo Romæ defuncto anno 1378. Cardinales, qui majori ex parte Galli erant, Bartholomæum Prigianum Barij in Apulia Episcopum elegerunt, qui Urbanus VI. appellatus est. Sed quia novus Pontifex se Cardinalem severum animæversorem, & reformatorem præbuit, eosque hac de causa infensos habuit, illi Anagninam primûm, deinde Fundos recesserunt, ubi Conventu facto, electionem Urbani VI. utpote gravi metu extortam, irritam declarantes, Robertum Cameracensem Episcopum, & Cardinalem renunciârunt Pontificem, qui Clemens VII. dici voluit. Hunc promovit, defenditque Ioannes Grangius, Gallicè laGrange, Cardinalis & Episcopus Ambianensis, Urbano inimicus, & gratiâ Caroli VI. Francorum Regis potentissimus. Romæ Urbanus hæsit, Clemens Avenione Sedem fixit. Hinc exortum est lugendum illud schisma, quod Ecclesiam miserè laceravit usque ad annum 1417. quo tempore Concilium Constantiense, abrogatâ de Pontificatu contententibus Dignitate, novum creavit Pontificem Odonem Columnam Cardinalem tituli S. Gregorij in Velabro, qui sibi Martini V. nomen inâdidit, quique solus postea legitimus Pontifex agnitus est.

Tempore autem illius schismatis cum uterque Pontifex ad tuendam suam dignitatem maximis sumptibus, & potentibus ami-

cis indigeret, gravia Beneficariis onera imponebat, Beneficiorum collationem sibi reservabat, multaque contra disciplinam antiquam comitebat. Quamobrem Galli, in quorum jam animis tempore Bonifacij VIII. avita erga Summos Pontifices observantia, aliquantum refrixerat, maximè autem Clerus tanti ponderis impatiens, & Universitas Studij Parisiensis, cujus tunc temporis magna erat non solum in Ecclesia, sed etiam in Republica auctoritas, quæque molestè ferebat, viis literatis Beneficia non conferri, de executiōe illo iugo cogitârunt, quare Regis, Senatûs Parisiensis, & Regni Primum opem implorârunt, ac promptam nacti sunt. Itaque sub Carolo VI. cum adhuc atate, ac deinde mente debilis esset, in medium adducta est libertas Ecclesiæ contra Pontificum exactiōnes, ac Beneficiorum reservationes, tanquam antiquis moribus, & Canonibus contrarias, ac sensim contra cætera omnia, quæ nimis gravia videbantur, in quo potentia secularis cum Clero consensit, eumque maxime juvit. Hinc Doctorum Parisiensium, sed multo magis Jurisconsultorum animos invasit studium quoddam libranda Pontificiæ auctoritatis, ne ultra positis sibi à Christo terminis in præjudicium Cleri, aut Regni produceretur. Deinde etiam ad Concilia Oecumenica examinanda, libertas illa protenta est.

Anno 1438. in Conventu, qui Ecclesiæ Gallicanæ nomine censerit voluit, Bituricis examinata, temperata, & sic accepta, ac in unum corpus redacta sunt præcipua Concilij Basileensis Decreta, exactiōibus, & Beneficiorum reservationibus obstantia, idque Pragmaticam sanctionem vocant, quam Carolus VII. confirmavit, & observari præcepit. Fuit aliquamdiu hæc Sanctio, seu Thesaurus, ac Promptuarium libertatum Ecclesiæ Gallicanæ. Quidquid contra ibi contenta tentabatur, Regis, aut Senatûs convellebatur auctoritate.

Verum Summi Pontifices Pragmaticam illam sanctionem abominati sunt tanquam juribus suis infestam, ac quasi schismatis factum tunc temporis editum, cum Concilium Basileense legitimum non esset, absente, ac etiam contradicente Eugenio IV. Papâ, & maximo Cardinalium, & Episcoporum numero, qui cum Summo Pontifice Florentiæ Concilium habebant (quò convocati fuerant etiam Patres Basileenses degentes) quorumque decreta, utpote à Capite cum pluribus membris derivata, Episcoporum Basileensium Decretis longè erant antepōnenda. Tandem Pontificum diligentia Pragmatica illa sanctio primûm à Ludovico XI. deinde à Francisco I. Regibus Franciæ fuit abrogata, ut testantur illorum Edicta.

Senatus quidem, & Universitas Studij Parisiensis, imò Clerus universus dissentimè illam propugnaverunt, sed tandem Romanis Pontificibus, Regibus Galliæ, ac usui cedere coacti sunt, quamvis, ut sæpe significârunt,

CONCLUSIO

35.

36.

37.

38.

vidas  
ultra  
colica  
VI